



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput XXXVI. De quaruor Principalioribus Virtutibus prædicti Prioris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

batur, aut de illis loquebatur, quæ ædificabant ad salutem, cùm jam Monasterium egressurus cæperat ambulare, spiritualem materiam & specialem suo infixit cordi, per quam contra inania & otiosa, quæ occurrere possent, mentem occuparet.

## C A P U T    XXXVI.

*De quatuor Principalioribus Virtutibus prædicti Prioris.*

**P**Ræter prædictarum virtutum dona, quæ hic Venerabilis ac Deo devotus Prior in se habuit, alijs quatuor jamjam huic opusculo inferendis magno ac singulari desiderio studuit inhærere, videlicet, ut Christum Deum, & hominem sinceriter adamaret, spiritualis disciplinæ rigorem institueret, & servaret, salutem plurimarum animarum procuraret, insuper & multa Monasteria ( quantum in ipso fuerat) reformaret, hæc namque ejus principaliora virtutum dona singulatim declarabo.

## C A P U T    XXXVII.

*De primo Virtutum signo. Quomodo Christum amaverit.*

**Q**UOMODO & qualiter prætactus Prior Christum sinceriter adoravit, calamo & atramento ad plenum exprimere non sufficio; in tantum enim amor ejus in Ipsum ferebatur, ut si mentem suam & affectiones sensisset aridas circa Christum, in tantum corpore sese debilem repererit ac torpentin, ut lectum petens alta suspiria velut ab eo derelictus, sonorosè emitteret, etiam ut Christo eò pluries, eoque ferventiū inhæreret, sculptam imaginem Crucifixi (quæ in Ecclesia B. Meinulphi in sublimi quasi ad testudinem posita fuit) inferius poni fecerit supra mūlum in vicino & aspectu suo, ut mentem suam ad Christum ferventer amandum celebrius incitaret. Eandem ob causam & aliam Crucifixi Imaginem in opposito sui Stalli propè summum Altare fecerat collocari, & ne ejusdem Domini IESU quovis modo obliviſceretur, habebat & aliam ejus